

**p**ro themate petita, qvale est Epicedium Quintilii *Lib. I. Od. 24.* Vel *enim itabile*, qvod argumenta habet *externa* à circumstantiis personarum scribentium vel legentium petita. Sic in propemptico Virgilii *Lib. I. Od. III.* digreditur ad incommoda navigiorum, qvod ipse Epicureus hoc problemate suam sectam esset commendaturus; ad exempla temerariorum fabulosa, ut versus placerent Grammaticis in Schola docentibus; ad querelam de vitiis, qvæ Jovem non paterentur deponere fulmina, ut adularetur Augusto, qui post occupatam Romæ Monarchiam, multorum agnoscebat consilia, qvæ pœnam videbantur meruisse. Ita in censendis Auctoribus non sufficit judicium Grammaticum aut Oratorium, sed, in iis præsertim, qvos in aulâ claruisse novimus, simul advocari debet judicium Politicum.

## LOGICUM.

**P**etrus Svavis in Historiâ Concilii Tridentini *Lib. VI. p. m. 450.* narrat decernendum fuisse, num *Residentia*, h. e. præsentia Episcopi apud suam ecclesiam, esset juris divini? ac impositum Patribus, ut simpliciter in suffragiis suis mentem explicarent vocabulis: *Placet* aut *non placet*. Sed LXVIII. dixerunt: *Placet.* XXXIII *non placet.* XIII. *Placet,* *consulto prius Pontifice.* XVII. *Non placet,* nisi *prius consulto Pontifice.* Qvaritur qvomodo discrepaverint, postremi XVII. ab aliis XIII? Si species vim suffragii, nullum est discrimin: hæc enim enunciatio: *Nisi placuerit Pontifici, non placet,* ob duas negationes æqvipollet huic: *Si placuerit Pontifici, placet,* adeoq; sensus erat: *negotium Pontifici committendum.* Si tamen species animi intentionem, maxima est diversitas. Priores enim sic dicebant. *Placet,* nisi *coactus à Pontifice aliter sentire jubeatur.* Postiores: *Non placet,* nisi *coactus aliter sentire jubeatur.*

## DIDACTICUM.

**C**Asparus Knittel, Jesuita apud Pragenses non Incelebris, in Tractatu suo, qvem vocavit *Aristotelem curiosum & utilem*, centum Qvæstionibus totidem subjicit Parerga, è centum diversis Mathematicis scientiis deprompta. Nam ut curiosus Lector centum has disciplinas habeat in conspectu, nominantur. 1. Geometria Elementaris 2. Arithmetica speculativa 3. Arithmetica practica, 4. Geometria speculativa 5. Conica 6. Geometria practica. 7. Logistica popularis 8. Logistica Astronomica 9. Trigonometria Elementaris 10. Trigonometria practica, 11. Logarithmica, 12. Algebra Zetetica 13 Algebra poristica 14. Algebra exeggetica. 15.

Astro-